

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Promptvarii exequialis pars ...**

Continens centurias II. dispositionum, quibus themata funebria sive  
scripturae dicta varia ...

**Bidembach, Felix**

**Frankofurti, 1625**

Thema L.

[urn:nbn:de:bsz:31-130978](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-130978)

& in patientia faciant voluntatem Dei, vt accipiant promissionem. De quo Heb. 10. v. 36. Atque hoc agamus omnes vt simus filij promissionis, Rom. 9. v. 8. & sic promissionem ipsius expectemus, 1. Pet. 3. versiculo decimo tertio. De cæteris alias.

F I N I S.

## THEMA L.

Psal. 34. v. 20. &amp; 21.

*Multæ tribulationes iustorum: sed ab his omnibus liberat Dominus.*

*Custodit omnia ossa eorum, vnum ex eis non confringetur.*

## D I S P O S I T I O.

Psal. 83. vers. 12. Dauid queritur: Ecce impii felices Hic è contrario, iustorum multæ tribulationes. Quomodo hæc, inquis, conuenient cum Dei iustitia? Et certe iniquum hoc videtur rationi humanæ, vt Hieremias in ius propterea Deum vocare non vereatur, Jer. 12. v. 1.

Et nisi in sanctuarium Dei ingrediamur, Psal. 73. v. 17, hoc est, nisi Sacrosanctum Dei verbum consulamus non expediemus hanc controuersiam. Ita que præsentia verba iam explicanda suscipiemus in præsentii funere, viri optimi & iustissimi, qui certe multas sensit tribulationes.

Neque vero de impiorum felicitate, sed tantum de tribulationibus iustorum dicemus. Et hæc notabimus,

1. Vtrum Deus conscius harum tribulationum sit.
2. Quare permittat sic tribulari pios.
3. Et quæ piorum consolatio in his tribulationibus.

## I. Pars.

Initio notandum hic, quinam per iustos intelligantur. Non qui carent peccatis, (tales enim non viuunt, Hiob. 14. v. 4. & Prou. 20. v. 9. Rom. 3. v. 10. & 23.) sed qui iustificati sunt fide, Rom. 5. v. 1.

T alium

Tantum enim peccata teguntur, Psalm. 32. v. 1. ne impentur. Sic Hiob iustus dicitur, Job. 1. v. 1. & 8. Sic Loth, 2. Pet. 2. v. 7. Sic Noë, Gen. 6. v. 9. Talis iustus septies cadit sed refurgit, Prou. 24. v. 16. De talibus hic loquitur iustus qui per fidem propter Christum pro iustis habentur.

Tantum multas esse tribulationes asserit. Nec eger hoc probatione, quia præter scripturæ exempla id ipsum quotidiana testatur experientia. Hic itaque quaeritur, utrum Deus conficius sit omnium harum tribulationum? Et respondetur, imo maxime. Scit & permittit has tribulationes multas. Quod patet ex loco Matth. 10. v. 29. Capilli capitis. Ideoque David passim refert, Tu scis afflictiones meas, Psalm. 69. v. 20. & Psalm. 60. v. 5. Tu dedisti. Psalm. 56. v. 9. Tu numeras. Ergo probe nouit. Testatur exemplum Hiobis, quod Deus istud permittat, Hiob. 1. v. 12. & 2. v. 6. Idemque cap. 19. v. 21. ait, Manus Domini tetigit. De Tobia dicitur, quod Deus permiserit ipsum sic affligi, Tob. 2. v. 12. David, 2. Sam. 16. v. 11. Dominus iussit illum maledicere, Ruth. 1. Naemi dicit, Dominus conturbauit me. Item, Dominus humiliavit me. Patet id ex Psalm. 66. v. 10. & 88. v. 8 & 118. v. 18. Eia. 38. v. 12. me succidit. Extra dubium itaque Deus nouit, & permittit ista mala.

## II. Pars.

Dicat aliquis, Quæ causa est, quod Dominus tot malis affligi pios permittit? Resp. Causæ multæ sunt. Quædam nobis incognitæ sunt quædam vero nobis in verbo reuelauit. De præcipuis tantum dicemus.

1. Sic monet Deus, quod in iustificatis adhuc hæreant infirmitates & nœui. Ideoque ne pereant cum mundo, illos sic corripiendos, 1. Cor. 11. v. 32. Idem manifestum fit ex Ierem. 30. v. 11. & 46. v. 28. Dauidi per istas tribulationes, quas expertus est, 2. Sam. 13. 15. & 10. semper de peccato conacionatur. Ideo agnoscit Psalm. 119. v. 71. Bonum est mihi. Et v. 6. Ego gratias ago, quod erudis. Mich. 7. v. 9. Irâ portabo, quia peccaui. Vide Ier. 31. v. 19.

2. Alia

Alia causa est, vt sic ardentes efficiat preces Dominus. De hoc Esa. 26. v. 16. Psalm. 6. v. 3 & 120. & 130. v. 1. De profundis. Tum clamant Israelitæ, Exod. 14. v. 11. Exemplo Hiskiaæ patet, Esa. 37. v. 15. & 38. v. 2. Et cætera. Oratio Manasse idem docet.

3. Tertia causa. Vt conformes fiant iusti imagini Christi. Rom. 8. v. 29. qui sic fuit attritus, Esa. 53. v. 3. Psalm. 22. De hoc Christus, Sequatur se, Matth. 10. v. 38. Luc. 6. v. 20. Ioh. 15. v. 27. 1. Pet. 2. v. 21. 1. Pet. 4. v. 12. & seqq. Cum ipso patimur, Rom. 8. v. 17. 2. Tim. 2. v. 11. Coloss. 1. v. 24.

4. Sic probat Dominus fidem, spem, patientiam suorum. Alioquin facile esset Deo fidere, & ferre omnia felicia. At crux probat, Syr. 2. v. 5. Syr. 27. v. 6. Esa. 47. v. 10. Ibi fides se exiit, 1. Pet. 1. v. 7. auro pretiosior. Ibi spes viuua, Job. 13. v. 15. Rom. 5. v. 5. Non confundens. Ibi patientia fit manifesta. Hic patientia sanctorum, Apoc. 14. v. 12. Tob. 2. v. 12. & cap. 12. 13.

5. Tandem hoc permittit Deus, vt discant fastidire hanc vitam, & desiderant patriam veram, Elias cupit mori afflictus, 1. Reg. 19. v. 4. Sic Paulus cupit dissolui, Phil. 1. v. 23. Hic enim pressura. Ibi gaudium, Joan. 16. Et quia *ἠολιτέυσα* ibi, Phi. 3. v. 20. venturam inquiramus patriam Heb. 13. v. 14. Desideramus, 2. Cor. 5. v. 8. Omnis creatura desideret solui, Rom. 8. v. 22. Magis nos. Ibi enim parata largissima compensatio. De qua Psalm. 116. v. 5. 2. Corint. 4. v. 17. Rom. 8. v. 17. 2. Tim. 2. v. 11.

### III. Pars.

Interim tamen ne succumbant pii in his tribulationibus, maxima consolatio additur: Dominus liberat. Cum quo sentit id Psalm. 68. v. 20. Onus imponit &c Et additur: Omnia ossa custodit, ne vnum ex illis frangatur. Omnes enim gressus obseruat.

Maxima hæc omnibus afflictis debet esse consolatio.

Exempla quoq; liberationis diuinæ his facient idem.

Loth ex Sodomis ereptus, Gen. 19. Iosephus ex omni-

L

bus

bus malis, Gen. 37. 39. 41. David similiter. 1. Sam. 18. ad finem, Hiskias, Esa. 37. 38. Hiob. Vide Hiob. 42. per totū. Tobias. Tob. 11. v. 16. Hæc solantur Dauidem sæpius, Psa. 9. v. 10. & 40. v. 18. Syr. 2. v. 11. sic Dominus ipse solatur, Esa. 41. v. 10. & 43. v. 1. & 2.

At inquis, scio hæc: sed interim multi pereunt in illis tribulationibus. Et ossa martyrum in cineres redacta, quomodo dicuntur custodita ne pereant?

Respondeo. Liberatio terrena illa, perfecta non est. Quia si eluctati sunt pii ex vna calamitate, mox illam excipit alia. Patet exemplo Davidis & Hiskia: Neq; sic ossa custodiuntur in hac vita, vt sancti nunquam lædantur & damnū corporis accipiant.

At tum demum perfecte liberat, cum ex hoc mundo, & ex omnibus calamitatibus huius vitæ, per mortem liberat, & animam ad gloriam perpetuam transfert, corpus vero in terra quiescere facit. Sic enim ossa in sepulchro custodit, & reseruat resurrectioni, vt ne minutissima quidem illius particula pereat. Omnia enim officula, licet in cineres redacta, resurgent. In numerato habes illa, sicut & lachrymas, Psa. 56. v. 9.

Hanc demum veram & gloriosam liberationem agnoscit D. Paulus 2. Tim. 4. v. 18. inquis: Dominus me liberabit ab omnibus malis. Quod non nisi per mortem fieri potest. Idque oramus quotidie ex Math. 6. vers. 12. Hinc beati mortui dicuntur, Apoc. 14. v. 13. Festinat Deus illos liberare, Sap. 4. v. 14. Abripiuntur ne videant mala, Esa. 56. in fine.

Anima in manu Dei asseruatur, ne patiar tormenta, Sap. 3. v. 1. Corpus in cubili quiescit, Esa. 56. in fine. Et tum quidem maxime gloriosa erit liberatio, cum abstergentur lachrymæ, Esa. 25. Apocal. 21. vers. 4 & 7. v. 17. vbi corona imponetur, 2. Tim. 4. v. 8. Jac. 1. 1. Pet. 5. Vbi non dolor amplius erit, Apoc. 21. v. 24. Vbi delectatio illa, Psa. 16. (in fine) quam oculus non vidit, Esa. 64. 1. Cor. 2. v. 9. Quin ergo mori cupimus, vt perfecte liberemur? Aut quid vltra oramus, Libera à malo, No.

NOTA. Extat huius Themas Tractatio germ. typis excusa, anno. 1590. tradita in funere Johan. Moseri I. V. D. Consil. Wirtembergici.

F I N I S,

## THEMA LI.

Psalmus integer XXXIX.

*Dixi, custodiam vias meas, &c.*

DISPOSITIO.

Est fere hoc communissimum in mundo scandalum, quo omnes boni offenduntur, cum vident felicitatem impiorum. Neque vero id hodie nouum est quod ex Psalmis Dauidis, Hiobis cap 20. & Ierem. 12. constat.

Huic etiam offendiculo Dauid non vnum, sed aliquot Psalmos voluit opponere, vt sic suis atque aliorum cogitationibus peruersis medicinam faciat: Tales sunt Psalmi 37. 73. 144. Et in his quoque presens Psalmus 39. numerandus est in quo duo tractat Dauid.

Primum consolationes monstrat huic (de quo diximus) scandalo opponendas. Deinde orat sibi peccata condonari, & poenas vel tolli vel sic mitigari, vt possit ferre. In his vero passim inueniuntur loci egregii, de morte, vitæ breuitate, & instabilitate, atque peregrinatione hominis, &c. quæ presenti instituto nostro multis modis seruiunt. Nos duas istas partes Psalmi ordinae tractabimus: Sed ex omnibus aliis eas tantum doctinas exerpemus, quæ huic loco & tempori videntur esse convenientissimæ.

## I. Pars.

Quo respiciat initium huius Psalmi, ex verbis illis vers. 2. patet, vbi ait; dum impium cogor ante me videre. Hoc vult, cum video ante oculos meos impios florere, sic sæpe commoueor, i. vt voces indignabundas effutire malle, quam orare. At dum colligo me rursus, sæpius iam proposui, quod sic velim frænare meam linguam, ne

L 2 ultra